



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXXII. De salariis & solutionibus scripturarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

dies ad plus laborantibus, non videretur quod pos-
sent proficere, significetur coepiscopis per prouin-
ciam, quod donec discordia huiusmodi durabit,
dicatur collecta pro pace: & quicumque pro eis la-
boraret & oraret, si foret vere pœnitens & confes-
sus, quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentiis
relaxentur præsentis Concilii auctoritate.

RVBRICA XXXI.

Quoniam deficientium voluntates pro legibus
sunt obseruandæ, & executores testamentorum
vltimas deficientium voluntates exequi negligunt,
in graue animarum ipsarum periculum, statui-
mus quod notarii, qui testamentum, seu quamlibet
vltimam voluntatem vel schedulam ad piam
causam scripserint, eam infra mensem episcopo
ordinario, vel eius vicario præsentent, & assignent,
& tradant; alioquin sententiam excommunicationis
incurrant: ita quod de cetero fides instru-
mentis per eum confectis non adhibeatur. Et
executores post legitimum tempus, hoc est an-
num, nisi fuerint executi, vltterius se non possint
intromittere, sed episcopi ordinarii ea exequan-
tur: & nihilo minus tales de cetero sint inhabi-
les ad executiones alias suscipiendas, vt in eo quod
deliquerunt puniantur.

RVBRICA XXXII.

Item cum indebitæ exactiones a notariis &
sigilliferis dominorum episcoporum taxentur &
moderentur in omnibus, præsertim in ordinatio-

ANNO CHRISTI
M.DC.XXII.

nibus, ut ultra duos Venetos non possint accipere pro scriptura, charta, schedula, cera & sigillo, nec aliis quam in ipsis habent facere; nec grauent ultra in aliis actis, videlicet citationibus & edictis, motionibus, & aliis scripturis, sed cum taxatione & moderatione dominorum episcoporum restrinquentur & taxentur. Et si querela super hoc remedium præbuerit, ipse notarius officialis suspendatur in dicta curia episcopali, usque ad aliud Concilium prouinciale ab officio suo.

Lectæ & publicatæ fuerunt supra scriptæ constitutio-
nes, statuta & ordinamenta in choro maioris ecclesiæ Ra-
uennatis, & ordinatae & firmatae in Concilio prouinciali
memorato, præsentibus Dei gratia dominis Huberto Bo-
noniensi, H. Regino, M. Ceruiensi, & P. Foropopiliensi,
& fratre venerabili electo Fauentino, & præsentibus pro-
curatoribus, videlicet dominorum P. Parmensis, R. Forli-
uiensis L. Cæsenatensis, fratribus, P. Comaclensis, I. Adrién-
sis, & V. Saxenatenensis, episcoporum suffraganeorum, ab-
sentium, &c. R. archidiacono, & Ioanne Andreæ præpo-
sito, Nicolao presbytero cardinale, & Guidone Boninse-
gna, Thomasio Cambio, & Benedicto, cantoribus ecclesiæ
Rauennatis, præsentibus pluribus abbatibus, & aliis testi-
bus, ad hæc conuocatis: anno Domini millesimo tercen-
tesimo undecimo, indictione nona, die Lunæ vigesimo-
primo mensis Junii.

Lectæ & publicatæ & pronuntiatæ fuerunt supra scrip-
ta constitutiones, statuta & ordinamenta in episcopali
palatio Mutinensi per venerabilem patrem Bonadanum,
Dei gratia episcopum Mutinensem, in plena Synodo cle-
ri ciuitatis Mutinensis, in præsencia venerandorum & re-
uerendorum virorum dominorum Iacobi abbatis mona-
sterii sancti Petri, Bonincontri archipresbyteri ecclesiæ
Mutinensis, Barnabei & Iacobi canonorum dictæ Mu-
tinensis ecclesiæ, Iacobi prioris sanctæ Trinitatis, Simo-
nis prioris de Gena, fratris Benedicti prioris sanctæ Ca-

Concil. Tom. 28.

Iiij ij